

LIBER PRIMUS

DE REGULA ACTUUM HUMANORUM.

TRACTATUS PRIMUS

DE CONSCIENTIA

MONITUM AUCTORIS. - Adverte, Lector benevole, quod primum hunc Tractatum de Conscientia, quo aditus ad universam moralem Theologiam aperitur, speciali studio a me elucubratus, pro faciliiori alumnorum meorum instructione apponere volui. Hoc dico, quia deinde omnes alios Operis Tractatus ab alieno Auctore virgulis signatos invenies, meis tamen Adnotationibus adjunctis. Elegi autem illos alterius Auctoris Tractatus inserere, ut ordinem rerum ab eo servatum sequerer: eo quod talis ordo, propter rerum distinctionem et connexionem, optimus universe a pluribus reputatus est.

CAPUT I.

Quid Conscientia et quotuplex, et quaenam sequenda.

1. De regula remota et proxima actuum humanorum. — 2. De conscientia et synderesi. — 3. De conscientia recta et erronea. — 4. De eo qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam. — 5. De eo qui sequitur conscientiam invincibiliter erroneam. — 6. An sic operans meritum acquirat in operando. — 7. Respondetur objectioni adversariorum. — 8. An detur conscientia invincibiliter erronea circa praecepta naturalia. (Remissive ad Tract. II, de Legib., n. 170). — 9. De eo qui putat erronee desiderium malum non esse peccatum. — 10. De conscientia perplexa. — 11. De conscientia scrupulosa. Signa scrupulosorum. — 12. Remedia et praesertim obedientiae. — 13. De periculo scrupulosi qui non obedit. — 14. De regulis generalibus assignandis. — 15. Quomodo confessarius gerere se debet cum scrupulosis, qui timent assentiri cui libet pravae cogitationi. — 16. Quomodo cum iis, qui semper dubitant de confessionibus praeteritis. — 17. Quomodo cum iis, qui in omni actione peccare formidant. — 18. Quid de iis, qui operantur cum actuali timore. — 19. Scrupulosi non peccant scrupulos vincendo, quin illos prius deponant.

Duplex
regula a-
ctuum hu-
manorum.

1. - Duplex est regula actuum humanorum; una dicitur remota, altera proxima. — Remota, sive materialis, est lex divina; proxima vero, sive formalis, est conscientia: quia, licet conscientia in omnibus divinae legi conformari debeat, bonitas tamen aut malitia humanarum actionum nobis innotescit, prout ab ipsa conscientia apprehenditur, uti docet S. Thomas: *Ratio humana est regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur*¹. Et clarius alio in loco: *Actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus, secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus*².

Prius agemus de regula proxima, nempe de *Conscientia*; deinde de remota, nimirum de *Legibus*.

2. - Conscientia definitur sic: *Est iudicium seu dictamen practicum rationis, quo judicamus quid hic et nunc agendum ut bonum, aut vitandum ut malum*. Dicitur autem conscientia *dictamen practicum*, ad differentiam synderesis, quae est cognitio speculativa principiorum universalium ad bene vivendum, scilicet: *Deus est colendus. Quod tibi non vis, alteri ne feceris, etc.*, ut habetur ex S. Thoma³.

3. - Dividitur autem conscientia in re-ctam, erroneam, perplexam, scrupulosam, dubiam et probabilem.

Conscien-
tia quid.

Quotuplex.

¹ 1^a 2^{ae} qu. 19, art. 4, corp. — ² Quodl. 3, art. 27, corp. —

³ 1 part., qu. 79, art. 12, corp.

Recta est ea, quae dicitur verum. Peccat ideo qui contra eam operatur: cum dicat Apostolus: *Omne... quod non est ex fide* (nempe ex dictamine conscientiae, ut explicat Estius ^{a)} et alii), *peccatum est*.

Confirmat Innocentius III ¹: *Quidquid fit contra conscientiam aedificat ad gehennam*.

Conscientia vero *erronea* est ea, quae dicitur falsum tanquam verum. Haec autem alia est vincibilis, alia invincibilis. — *Vincibilis* est, quae cum debeat et possit vinci ab operante, vel quia errorem jam advertit, vel saltem dubitat de errore, advertitque simul ad obligationem illum vincendi, tamen negligit illum vincere: ut docent S. Antoninus ², Navarrus ³, Salmant. ^{b)}, et Suarez ⁴, cum Silvio, Cajetano, aliisque communissime ex S. Thoma ⁵. Notant autem Salmant. ⁶ et Castropalaus ⁷, cum Azor, Suarez ^{c)}, Vasquez ^{c)}, Bonacina ^{c)}, etc., et Wigandt ^{c)}, non esse opus, ut diligentia adhibenda ad vincendum errorem sit maxima, sed sufficere ut sit communis et ordinaria. — *Invincibilis* vero est, quae moraliter vinci nequit: cum nulla cogitatio nec dubium erroris veniat in mentem operantis, nec etiam in confuso, dum operatur, vel dum actionis causam ponit; prout latius explicabitur in Lib. V, tract. de Peccatis, ubi agetur de advertentia ad peccatum requisita.

4. - Hinc dicimus 1^o. Qui conscientiam *vincibiliter* erroneam habet, *semper pec-*

cat, sive juxta eam, sive contra eam operetur. — Peccat enim agendo contra eam, eligendo malum quod iudicat esse malum; peccat vero agendo juxta eam, quia, cum errorem debeat et vincere possit, illum non deponendo temere operatur.

5. - Dicimus 2^o. Qui conscientiam *invincibiliter* erroneam habet, non solum non peccat juxta eam operando, sed etiam aliquando tenetur illam sequi. — Ratio utriusque est: *non peccat*, quia licet in se actio recta non sit, recta est tamen juxta conscientiam operantis; *tenetur* autem juxta eam aliquando operari, si conscientia, quae est regula proxima, sic ei suggerit agendum.

6. - Non solum autem qui operatur cum conscientia *invincibiliter* erronea non peccat, sed etiam *probabilius* acquirit meritum; ut recte sentit Pater Fulgentius Cuniliati ⁸ cum aliis communissime. — Ratio, quia ad dicendum aliquem actum bonum, saltem inadaequatum, sufficit ut ille dirigatur per rationis et prudentiae dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem quo operatur, nempe gloriae Dei aut caritatis erga proximum, etc.; sicut contra demeretur qui bonum opus facit, sed apprehensum ut malum, propter malum finem quo opus illud exequitur.

7. - Objicit Franzoja ⁹, nunquam malam actionem posse esse causam meriti;

art. 2, corp. - Cajetan., v. Ignorantia. — ⁵ De Verit., qu. 15, art. 4, ad 10. — ⁶ Loc. cit., n. 15. — ⁷ Tr. 2, disp. 1, punct. 15, n. 6. — ⁸ Azor, part. 1, lib. 1, cap. 16, qu. 6. — ⁹ De Consc., cap. 1, § 3, n. 6. — ³ Theol. mor., lib. 1, tr. 1, cap. 1, animadv. 1.

n. 19, negant posse certa regula generaliter definiri, sed prudenti arbitrio relinquendum esse quanta diligentia sit adhibenda; « pensatis omnibus, ut dicit Suar., *loc. cit.*, quae ad tale praeceptum vel ministerium pertinent »; seu, ut loquitur n. 19, « juxta qualitatem operis vel ministerii »; aut « habita ratione, ut Bonacinae verbis utar *loc. cit.*, praecepti, officii et qualitatis personae, aut etiam circumstantiae temporis et loci ». — Demum Wigandt, *tr. 2, exam. 1, qu. 3, n. 7*, dicit tantum invincibilem esse ignorantiam quando, suborta advertentia, « attamen, adhibito etiam sufficiente studio, diligentia et consilio, vinci aut deponi non potuit ». Et, *tr. 3, exam. 1, num. 23, § Resp. 3*, docet invincibilem ignorantiam eam esse, quae morali diligentia superari ac tolli non potest.

Secus qui invincibilem.

Hic probabilius meretur.

Objectioni respondetur.

affertque pro se S. Thomam, qui ¹ sic ait: *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quod sit bonum, requiritur quod utroque modo sit bonum*.

At respondetur, quod S. Doctor loquitur hic de bono absolute et simpliciter sumpto, non autem de bono respective et per accidens, prout a conscientia, quae est regula proxima agendi, invincibiliter apprehensum est, juxta id quod idem Angelicus docet (ut supra retulimus) dicens: *Actus humanus iudicatur virtuosus vel vitiosus, secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus* ². — Juxta quod Pater Concina ³, quamvis in argumento dicat, opera ex conscientia erronea, etsi invincibili, nulla praedita esse bonitate aut merito, postmodum tamen ⁴ nobiscum sentit, dicens: *Potest enim quis, dum exercet opus materialiter malum, habere plures actus bonos, intentionem nempe bonam Deo placendi... Hos bonos et meritorios dicimus, quamvis actus qui per se tunc exercetur, sit materialiter malus, non imputabilis ad culpam...; quia opus materialiter malum, cum non sit voluntarium, refundere in istos actus malitiam non valet*. Id fortius confirmatur a S. Bernardo, qui docet subditum Praelato obedientem ex recta intentione, meritorie agere, quamvis materialiter erret contra legem. Et sic scribit: *Et quidem laudem dignam dixerim vel solam intentionem fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas* ⁵.

¹ 1^a 2^a, qu. 19, art. 6, ad 1^{am}. — ² Quodl. 3, art. 27. — ³ Appar. ad theol., lib. 2, de Consc., diss. 1, cap. 5 in Sum-

9. - ^{a)} Auctores isti male ponunt quaestionem, quaerentes utrum invincibiliter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen esse peccatum actum externum, excusetur a culpa, actum internum solum admittens. S. Alphonsus, a sexta Operis editione, melius et clarius exponit hanc difficultatem, quaerens scilicet utrum detur in allegato casu error invincibilis. Cui quidem dubio hic re-

8. - Quaeritur 1^o. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea circa praecepta juris naturae?*

Respondetur hic breviter, quod potest dari circa conclusiones mediatas, et remotas a primis principiis; non vero circa conclusiones immediatas et proximas: ut esset, auferre alienum invito domino, occidere innocentem, etc. — Est communis sententia, quam infra probabimus, auctoritate praesertim S. Thomae, in Tract. II. de Legibus, n. 170.

9. - Quaeritur 2^o. *An dari possit conscientia invincibiliter erronea in eo qui cupit aliquod patrare malum, puta fornicationem, iudicans per errorem, solum desiderium fornicandi non esse mortale, si fornicatio facto non sequitur?*

Affirmant id ut probabilius Sanchez ^{a)} et Granada ^{a)}, dicentes, hunc peccare tantum materialiter; quia, licet ipse velit malum illud objectum, tamen invincibiliter credit desiderium suum injuriam Deo non irrogare. Hanc tamen opinionem nunquam probabilem censere potui. Nunquam enim intelligere valui, quomodo qui vult deliberate actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exequi, qua certe agnoscit averti a Deo.

Sed dices: Quomodo iste peccabit formaliter illo suo desiderio, si malitiam ejus ignorat? — Respondetur: Quamvis detur, quod ignoret malitiam illius actus interni, certo tamen agnoscit malitiam actus externi; si ergo vult illum exequi, jam cognitum ut malum, quomodo a peccato excusabitur? Omnes quidem ex ipso lumine naturae dignoscunt, se teneri ad obediendum suo Creatori, quando igitur quis deliberate vult agere id quod scit a Deo sibi vetitum, necessario simul agnoscit, quod male

mario. — ⁴ Loc. cit., cap. 5, n. 24. — ⁵ Lib. de Praecept. et Dispensat., cap. 14, n. 41.

spondet docens: 1^o non dari talem errorem, meramque fictionem esse hypothesim quam Sanchez, *Decal., lib. 1, cap. 16, n. 16*, et Granada, *in 1^a 2^a, contrav. 6, tr. 5, disp. 3, sect. 2*, admittunt (Croix enim citat Jacobum de Granada, non Cardenas); proindeque 2^o in eo casu formale peccatum admitti, contra id quod docent Sanchez, *loc. cit.*, n. 17 et Granada, *loc. cit.*

Error invincibilis circa naturae praecepta.

Qui putat solum actum externum esse peccatum et admittit desiderium

peccat formaliter.

Vincibiliter erronea.

Invincibiliter.

Qui sequitur vincibilem, peccat.

agit: et quamvis reflexe tunc non peccet, putando solum actum externum esse peccatum; exercite tamen et in facto-esse jam peccat, volens negare Deo, tempore quo cogitat peccatum consummare, debitam obedientiam.

Instabis: Plures rustici ideo non confitentur de his pravis desiderii, quia credunt tantum peccare, cum peccatum externe consummant. — Respondeo: Isti potius falso decipiuntur in credendo quod non tenentur confiteri peccata quae non consummant; sed prudens confessarius iudicare debet, quod, cum consenserunt in peccatum consummandum, vere et formaliter peccaverunt, voluntate prava se a Deo avertentes. — Ex his omnibus, opinionem contrariam cum aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo.

10. - Pergamus ad alias conscientiae species discutiendas.

Conscientia perplexa. Conscientia *perplexa* est ea, qua quis in medio duorum praeceptorum constitutus peccare credit, quamcumque partem eligat. Exempli gratia, si quis perjurio posset in iudicio servare vitam rei; et ex una parte angeretur a praecepto religionis non pejerandi, et ex alia (errore ductus) a praecepto caritatis erga proximum, nec resolvere se valeret; quaeritur, quid agere deberet in hoc casu? — Respondetur: Si potest actionem suspendere, tenetur illam differre, donec consulat sapientes; si vero suspendere nequeat, tenetur eligere minus malum, vitando potius transgressionem juris naturalis, quam humani, aut positivi divini. Si autem non possit discernere quidnam sit minus malum, quamlibet partem eligat, non peccat; quia in huiusmodi casu deest libertas necessaria ad peccatum formale.

Conscientia scrupulosa. 11. - Agamus hic ultimo de conscientia *scrupulosa*, de qua longiorem oportet habere sermonem.

Conscientia scrupulosa est ea, quae ob levia motiva, absque rationabili fundamento (scrupulus enim est inanis apprehensio) saepe formidat de peccato, ubi revera non adest.

Signa scrupulorum. SIGNA conscientiae scrupulosae haec sunt: 1^o. *Pertinacia iudicii*, qua scrupulo-

sus sapientum consilii parere renuit, varios consulit, sed nullius iudicio acquiescit; imo quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. — 2^o. *Frequens iudicii mutatio* ex levibus motivis; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio, praesertim in operationibus externis; puta, in celebratione missae, in horarum recitatione, aut sacramentorum administratione vel perceptione. — 3^o. *Habere reflexiones impertinentes* plurium circumstantiarum, quae in actione adfuerint vel adesse potuerunt. — 4^o. *In omnibus formidare de peccato*, et mente haerere contra sapientem, ac etiam proprium iudicium; et ideo nunquam contentum esse una confessarii assertionem, sed saepius eodem actu eundem exquirere, an in agendo juxta consilium datum conscientiae esse possit immunis a culpa.

12. - REMEDIA autem pro huiusmodi scrupulosis adhibenda sunt haec. Remedia.

Postquam confessarius ex signis supra allatis jam perceperit, poenitentem esse scrupulosum, praescribat ei: 1^o. Ut valde *humilitatis* virtutem colat; saepe enim scrupuli ex superbiae vitio ortum habent. — 2^o. Ut caveat a *lectione librorum scrupulos excitantium*, et scrupulosorum conversationem evitet. — 3^o. Ne diu moretur in *examine conscientiae*, praesertim circa ea in quibus magis vexatur. — 4^o. Ut fugiat *otium*, ex quo saepe mens inanibus apprehensionibus impletur. — 5^o. Ut *instanter Deo se commendat*, ad opem obtinendam parendi praeceptis sui directoris; hoc enim super omnia praecipuum, imo unicum potest dici remedium huiusmodi infirmorum esse, omnino acquiescere iudicio sui superioris sive confessarii, ut omnes docent Patres, theologi et spirituales magistri.

Hinc valde proderit ad sedandas conscientias scrupulis agitatae, ut confessarius eis ante oculos exponat has egregias sapientum auctoritates, quas hic subdo. — Natalis Alexander¹ dicit: *Quod autem scrupuli sperni debeant, accedente prudentis, pii doctique directoris iudicio, et contra illos sit agendum, constat ex cap. Inquisitioni, Extra, de sent. exc., cuius*

Directorii acquiescendum.

haec sunt verba: *Si quis habet conscientiam ex credulitate levi... ad sui pastoris consilium licite potest agere.* — Id confirmat S. Antoninus ex Joanne Gersonio, qui¹ sic scribit: *Qui vero renunt credere superiorum et prudentum consilio ad tales scrupulos deponendum, et agendum contra eos, errant multipliciter.... Decipiuntur in hoc multi ex simplicibus, distinguere nescientes inter ea quae portio animae superior agit per consensum et ea quae portio animae inferior patitur absque superioris assensu.* Hinc affert illud B. Bernardi, qui dixit discipulo cuiusdam scrupuloso: *Vade, et in fide mea celebrae.* At, dicit aliquis, utinam esset mihi S. Bernardus! nunc vero, dum superioris mei mediocrem sapientiam inspicio, non audeo illi conscientiam meam committere. Respondet S. Antoninus, ex eodem Gersonio: *Quisquis ita dicit et sapit, erras et desipis: non enim commisisti te et salutem tuam in manus hominis, quia prudens est et plurimum litteratus, aut devotus, sed quia tibi est.... praepositus.... Quamobrem obedias sibi, non ut homini, sed ut Deo... Caveas ad extremum, ne dum quaeris securitatem..., in gravem ruas dijudicationis et praesumptionis fovream.* — Hinc S. Philippus Neriis suis poenitentibus² sic ajebat: *Qui proficere in via Dei cupiunt, submittant se confessario docto, cui obediant ut Deo. Qui ita operatur, fit securus a reddenda ratione cunctarum actionum suarum.* Dicebat item, fidem praestandam esse confessario, quia Dominus eum errare non permittet. Nihil esse securius, quam in operando voluntati directoris obtemperare; nihilque periculosius, quam sui ipsius iudicio se dirigere.

Pariter S. Franc. Salesius³, loquens de directione patris spiritualis, scribit ex B. Joanne Avila: *Nulla meliori modo de Dei voluntate aperte nos certos fieri, quam per humilem obedientiam ipsius [directoris] praeceptis.* Hoc etiam confirmat Glossa⁴, ubi dicitur: *Si vero dubium*

S. Anton., Sum., part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10, v. *Est igitur.* Cfr. primam vitam S. Bernardi, lib. 7, cap. 6, apud Migne, Patrol. lat., tom. 185. — ¹ Tr. de Praepar. ad missam et pollut. noct., consid. 3. — S. Anton., loc. cit. — Gerson., loc. cit. — ² Bacci, Vita di S. Filippo, lib. 1, cap. 20, n. 19. — ³ Introd. ad vitam devot., part. 1, cap. 4. — B. Joannes

sit praeceptum, propter bonum obedientiae excusatur a peccato, licet in veritate sit malum. Idem dicitur in c. *Quid culpatur, caus. 23, qu. 1.* — S. Bernardus⁵ ait: *Quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* — S. Ignatius Lojola⁶: *Obediendum in omnibus rebus ubi peccatum non cerneretur; id est (ut in Declarat.), in quibus nullum manifestum est peccatum.* — B. Humbertus⁷: *Nisi... aperte sit malum quod a superiore praecipitur, sic accipiendum est ac si a Deo praeciperetur.* — B. Dionysius Carthusianus⁸: *In dubiis... an sit contra praeceptum Dei, standum est praecepto praelati; quia, etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiae bonum non peccat subditus.* — Idem docet S. Bonaventura⁹.

13. - Quapropter confessarius enixe curet poenitentibus scrupulis vexatis suadere, quod omnino tutus incedit qui sui directoris consilii acquiescit, et obtemperat in omnibus, in quibus evidens peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo dicenti (Luc. x, 16): *Qui vos audit me audit: et qui vos spernit me spernit.* Contra vero inculcet, magno suae salutis discrimini se committere, qui praeceptis sui confessarii renuit obedientiam praestare; tunc enim periculo se exponit amittendi, non tantum cordis pacem, devotionem et in virtute progressum, verum etiam mentem (quot enim scrupulosi obedientiae non acquiescentes in amentiam ceciderunt!), item corporis valetudinem; imo, quod deterius est, etiam animae jacturam faciendi. Nam eo possent scrupuli devenire, ut ad tantam eum redigerent desperationem, qua vel sibimet mortem inferret, ut pluribus contigit, vel ut sic de sua salute desperans, habenas ad omnia vitia amplectenda laxaret.

14. - Praeterea satagat prudens confessarius, huiusmodi poenitentibus regulas potius generales, quam particulares praescribere. Regulis enim particularibus, scri-

Quantum praestet obedientia.

Regulae generales praescribendae.

Avila, Audi filia, cap. 55, v. f. — ⁴ In cap. *Ad aures*, de tempor. ordination., v. *Obedientiam.* — ⁵ De Praecepto et Dispensat., cap. 9, n. 21. — ⁶ Institut., part. 3, cap. 1, n. 23; part. 6, cap. 1, Declarat. B. — ⁷ Specul. religiosor., lib. 5, part. 1, cap. 1, p. m. — ⁸ In 2 sent., dist. 39, qu. 3, i. f. — ⁹ Specul. discipl., part. 1, cap. 4.

¹ Theol., lib. 3, de Peccat., cap. 4, reg. 10.

pulosi fere nunquam se resolvere valent ad operandum; quia semper dubitant, an regula illa praescripta possit valere pro casu occurrenti, qui saepe videbitur eis differens a casu praeterito cum confessario collato. — Hinc recte ait Concina¹: *Acceptis semel regulis directionis, non debent [poenitentes] importune directorem adire, et molestissimis interrogationibus vexare...; sed regularum, quas acceperunt, beneficio abigere scrupulos et spectra debent.*

15. - TRIPLICITER autem scrupulosi ut plurimum a scrupulis vexantur. — Alii anguntur a pravis cogitationibus, quibus assentiri saepe timent. Alii, propter confessiones praeteritas, quibus satis nunquam fecisse dubitant. Alii, propter timorem peccandi in qualibet operatione, quam acturi sunt.

Hinc P. Poenitenti, qui pavet cuilibet malae cogitationi (puta contra fidem, castitatem, aut caritatem) assensum praebere, imponat confessarius, ut hujusmodi scrupulos omnino despiciat, affirmans, non pravas cogitationes, sed tantum pravas consensus esse peccata. Et in hac materia non omittat semper uti regula illa a Doctoribus sapienter tradita, nempe eos qui sunt timoratae conscientiae, nisi moraliter certo sciant se in grave peccatum consensisse, immunes a peccato esse iudicandos; nam, ut ait Pater Alvarez, impossibile est peccatum in animam ab illo abhorrentem ingredi, quin ab ea clare agnoscat^{a)}. Qua de re saepe expediet scrupulosis expresse imponere, ut a con-

fessione hujusmodi cogitationum se abstineant, nisi tam certo sciant, se in illas consensisse, ut id jurare possint.

16. - II°. Poenitenti, qui semper anxius est de praeteritis confessionibus, quia formidat defecisse in integritate vel in dolore, si ipse generalem confessionem jam alias expleverit, aut per aliquod notabile tempus confessiones suas diligenter peregerit, huic imponat, ne amplius cogitet de culpis praeteritis, nec de iis verbum faciat in confessione, nisi jurare possit certo peccata illa mortalia perpetrasse, et insuper nunquam de illis confessum esse. Imo docent Azor^{a)}, Bonacina^{a)}, Becanus^{a)}, Coninck^{a)}, Laymann^{a)} et alii, quod aliquando potest quis taliter scrupulis angere, quod, licet ei videatur certo aliqua non dixisse, adhuc ad ea confitenda non teneatur. Confirmat id Wigandt², apposite scribens: *Nec audiatur poenitens, si de peccatis jam confessis iterum iterumque consulere tentet...; nam dato, quod aliqua peccata non fuisset confessus, attamen ob grave suum damnum, et ob periculum perpetuo haerendi in tanta anxietate, excusatur ab omnimoda integritate confessionis.* — In hoc autem vehementer instet confessarius, ut ei poenitens obediat: quod si obedire recuset, eum objurget, communiione privet, et quantum potest, duritiam ejus retundat. Cum scrupulosis obedientibus blande agendum est; cum iis autem qui in obedientia delinquant, maximum exercendus est rigor et austeritas: hac enim obedientiae anchora destituti, nunquam ipsi sanari possunt.

Anxietas circa confessiones.

Formido peccati in omni actione.

17. - III°. Illis denique scrupulosis, qui in omni actione peccare formidant, imponat, ut libere agant, scrupulosque despiciant, et contra illos operentur, ubi evidens peccatum non apparet; quia ordinarie ipsi ob rationem perturbatam ex nimio timore, timent adesse peccatum ubi non est. Ideo oportet eis praecepto injungere, ut scrupulos vincant, ne amentes, aut omnino inutiles ad operandum evadant; et postea de talibus actionibus abstineant in confessione se accusare; licet enim aliquando errent sic agendo, tamen non peccant ratione obedientiae, quam confessario praestare debent. — Imo sapienter docent Sanchez cum S. Antonino, Gersonio, Valentia, Corduba, etc.^{a)}; item Salmant. cum Cajetano, Navarro, Castropalao, Bonacina, Filiuccio, etc.^{b)} dicunt, scrupulosum teneri aliquando obligatione gravi adversus scrupulos operari; cum ex scrupulorum anxie-

¹ Appar., lib. 2, de Consc., diss. 1, cap. 8, n. 15 et 16. — ² Theol. mor., tr. 1, dist. 3, qu. 5, n. 72. — ³ Tr. 20, cap. 7.

17. - ^{a)} Sanchez, *Decal., lib. 1, cap. 10*, duo dicit: primo quidem, n. 81, « optimum atque saluberrimum consilium [esse] scrupulis vincendis, operari frequenter contra eos, temendo illos ». Et auctores, quos ipse ibidem allegat, scil. S. Antoninus *part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10*, v. *Sexta regula*; Gersonius, *de Praep. ad Misam et pollut. noct., consid. 3*; Valentia, *in 1am 2ae, disp. 2, qu. 14, punct. 4, v. f.*; Corduba, *Quaestionar., lib. 3, qu. 5, prop. 4.*, remedium istud scrupulis medendis valde accommodatum assignant. Deinde Sanchez, n. 83, docet « posse interdum esse praeceptum agendi contra scrupulos; nimirum quando quis grave ex scrupulis et anxietatibus detrimentum pateretur ». Et idipsum docent Valentia, l. c.; et Corduba, qui l. c. scribit « aliquando necessarium » esse contra scrupulos agere.

^{b)} Salmant., *tr. 20, de Princ. moralitat., cap. 7, n. 10*, duo asserunt: licitum nempe esse, et quandoque necessarium, contra scrupulos operari; auctores vero quos ipsi allegant, alii unam, alii alteram tantum partem tenent; ut Cajetanus, *Sum., v. Scrupulosorum medicina*, scribens humanam scrupulosorum medicinam esse « consulere et acquiescere ». — Navarrus, in c. *Si quis autem, n. 65, de Poenit. dist. 7*, adducit in cujusdam suae doctrinae corollarium id quod plures dicunt, nempe: « utile quidem et sanctum esse scrupulosis frequenter et fortiter contra suos scrupulos agere, tutiorem partem mittendo ». Et in *Manual., praelud. 9, n. 9*, docet scrupulosum non satis esse ad peccatum, « licet [quis] angatur scrupulo generali vel

tate possit grave damnum timere in profectu spirituali, aut in valetudine corporis vel mentis.

18. - Nec refert, quod ipse cum conscientia scrupulosa, seu cum actuali timore peccandi operetur; nam ex communi et vera sententia, quam docent Concina¹, Roncaglia^{a)}, Anacletus², S. Antoninus^{b)}, Salmant.³ cum Navarro, Cajetano^{c)}, Bonacina et aliis plurimis, scrupulosus ita agens minime peccat. Ratio, quia conscientia scrupulosa, seu dictamen mentis ex scrupulis ortum, non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum ex confessarii iudicio, vel alio modo; nam, ut ait Pater Concina: *Dubium suspendit assensum; secus vero scrupulus, utpote a dubio distinctus. Scrupuli ergo sunt quaedam veluti nubeculae, quae obscurare aliquantulum possunt iudicium intellectus, nullo tamen modo illud praefocare va-*

Scrupulosus operans cum timore actuali non peccat.

n. 10. - Navar., Man., praelud. 9, n. 9. - Bonac., disp. 2, de Pecc., qu. 4, punct. 8, n. 5. - Concina, Appar., loc. cit.

particulari, » quod in illa actione de qua angitur sit peccatum. — Palaus, *tr. 1, disp. 4, punct. 1, n. 2*, docet esse licitum, laudabile et quandoque obligatorium. — Bonacina, *disp. 2, de Peccatis, qu. 4, punct. 8, n. 5*, negat esse peccatum « facere aliquid deposito scrupulo, aut etiam ipso permanente. » — Demum Filiucius, *tr. 21, n. 182*, ita loquitur: « Potest operari contra illos tuta conscientia, supposito quod habeat probabilem rationem in contrarium ». — Sed et Salmant., n. 12, expressis verbis docent « aliquando obligatorium » esse contra scrupulos operari, propter notabile damnum quod scrupuli tum animae tum corpori afferunt: ibique Palaum adhuc allegant. — Pariter Bonacina, *loc. cit., n. 4*, asserit poenitentem a confessario monendum esse « de obligatione qua tenetur spernere scrupulos... , quoties videlicet poenitens grave damnum ex scrupulis et anxietatibus patitur ».

18. - ^{a)} Roncaglia tenet quidem, *tr. 1, qu. 1, cap. 4, qu. 2*, licere « contra conscientiam scrupulosam » operari (quo etiam modo loquuntur Concina et Anacletus); sed addit oportere, ut scrupulosus, adhaerens parti oppositae, cognoscat illius honestatem, vel propter rationem vel propter auctoritatem.

^{b)} S. Antoninus, *part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10*, non aliud habet nisi haec verba: « Sexta regula est animosa pugnatio, seu repulsio scrupulorum seu pusillanimitatis ».

^{c)} Cajetanus a Salmant. falso allegatur: non enim aliud habet, quod ad praesens attineat, nisi quae num. praeced., nota b, adduximus.

Scrupulosi varie vexantur.

Timor circa pravas cogitationes.

¹ Compend. theol., lib. 2, diss. 1, cap. 6, n. 7, i. f. —

² Tr. 2, exam. 2, n. 4, v. f.

15. - ^{a)} Haec sunt verba Patris Jacobi Alvarez (*Opera, tom. 2, lib. 1, part. 3, cap. 12, § 5, v. Multorum ac deversorum*): « An consentias, inquit, facillime potes advertere. Est enim consensus in peccatum mortale tanta iniquitas, tam manifesta rebellio, tam aperta honestatis et virtutis contemptio, ut celari aut ignorari non possit ».

16. - ^{a)} Bonacina, *disp. 2 de Peccat., qu. 4, punct. 8, n. 3, v. Addo aliquem*; Becanus, *de Act. hum., cap. 4, qu. 10, n. 3*; Coninck, *de Sacram., disp. 7, n. 68, vers. Excipiendi*, licet hanc doctrinam verbo tenus non habent; at certe eandem insinuant, dum negant peccata iterum esse a scrupuloso confitenda, nisi

certo seu evidenter ei constet; vel ipse (ut ait Bonac.) jurare possit se illa in praeteritis confessionibus omisisse. — Azor vero, *part. 1, lib. 2, cap. 20, quaer. 7*, solum dicit: « Eum admoneat [confessarius] uti nullum esse lethale peccatum existimet, nisi esse certo cognoverit... Non permittat eum ullo modo de scrupulis et dubiis confiteri: imperet autem ei, ut tantum ea, quae manifeste peccata esse cognoverit, confiteatur ». — Laymann denique, *lib. 1, tr. 1, cap. 6, n. 2, VI*, ita scribit: « Confessiones non repetat; sed postquam semel vel confessarii iudicio, vel suo saltem probabili, integre confessus fuisse visus est, acquiescat ».

lent. Idque praesertim valet, si urget obedientia confessarii agendi contra scrupulos, ubi evidenter culpa non cernitur: ut habetur ex cap. *Inquisitioni 44, de sent. excom.*, ubi securum declarat Pontifex, qui pastoris sui consilium sequendo scrupulos abjicit; sic enim ibi dicitur: *Ad sui pastoris consilium (conscientia levis et temerariae credulitatis explosa) licite potest [agere].* — Nec officit textus ab aliquo allatus ex cap. *Per tuas 35, de simonia*, ubi Pontifex praescripsit cuidam habenti conscientiam nimis scrupulosam, ne ascenderet ad ordines superiores, nisi conscientia illa prius deposita. Nam respondetur, ibi non agi de mero scrupulo, verum etiam de errore, quo tenebatur ordinandus, ut explicat Glossa: *Conscientiam habebat erroneam* ^{d)}. Et sic etiam exprimitur in textu: *Nisi deponat errorem.*

19. — Hinc pro praxi concludendum: scrupuloso prae oculis semper obedientiam habendam esse, ut scrupulorum suorum timorem fortiter abigens, libere operetur. Nec opus est, ut in quolibet particulari actu hoc iudicium efformet, nempe quod scrupulos contemnere debeat ex praecepto confessarii; satis enim est, quod ex iudicio prius formato contra scrupulum agat: quia, propter experientiam praeteritam, in ejus conscientia iudicium illud virtualiter sive habitualiter existit, licet tenebris obscuratum. Tanto magis quod, cum scrupulosus in illa confusione operatur, non certe operatur cum conscientia formata et deliberata, quae requiritur quidem ad constituendum peccatum, ut recte scri-

bit Joannes Gersonius ¹, his verbis: *Conscientia... formata est, quando finaliter, id est post discussionem et deliberationem, ex definitiva sententia rationis iudicatur et firmatur, aliquid esse faciendum..., aut vitandum; et contra talem conscientiam formatam facere... est peccatum. Timor vero conscientiae seu scrupulus est, quando... mens inter dubia vacillat, nesciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur; non tamen quoquo modo vellet omittere quidquid sciret esse placitum divinae voluntati; et contra istum timorem seu scrupulum conscientiae facere non semper est peccatum, licet periculosus valde sit* (intellige, nisi timor contemnatur ut vanus, maxime si accedat directorum consilium); ideo addit Gersonius: *Et quantum fieri potest, abjiciendus et extinguendus.* Hinc idem Gersonius ² sic scribit: *Scrupulosus ergo contra scrupulos agendum est, et fixo operis pede certandum... Quos evincere et compescere melius quam per contemptum nequimus, et regulariter non absque praevio alterius, praesertim superioris, consilio. Alioquin timor immoderatus facit casum aut praecipitat inconsulta praesumptio.* — Denique pro scrupulosis Natalis Alexander ait, servandam esse regulam illam a B. Alberto Magno ^{a)} et a S. Antonino traditam: *Inter duram et benignam circa praecepta sententiam, benigna interpretatio caeteris paribus potius facienda est.*

Dicendum remanet de conscientia dubia et probabilis. De his in sequentibus duobus Capitibus seorsim disseremus.

¹ Compend. theol., de Nat. et Qualit. Consc., § de Consc. indiscr. — ² De Praep. ad Miss. et pollut. noct.,

consid. 6, i. f. - *Nat. Alexand.*, de Pecc., qu. 4, reg. 10, vers. *Primum.*

^{d)} Verba Glossae haec sunt: « Conscientiam nimis habuit scrupulosam ».

19. - ^{a)} Natalis Alexander hanc suam regulam a S. Antonino, *part. 1, tit. 3, cap. 10, § 10*, vers. *Et secundum Joannem*, fere etiam

quoad verba mutuatus est; sed B. Albertus Magnus (cujus ceteroquin nomen S. Alphonsus ante 6^{am} editionem non afferebat) neque a Nat. Alexandro neque a S. Antonino allegatur.